

3.º Ex SS. PP. videas testimonia, loco citato (Thes. LXVI), laudata.

4.º Si Christus non satisfacisset pro peccatis nostris, gratis illi fuisset pro nobis remissio concessa: sed ex Thesi praec. constat eam meruisse. Ergo.

264. II.º Pars. pr. 1.º Ex Trid., ut supra (Thesis LXVI) dictum est. Si enim nos tantum pro poenis peccatorum satisfacere-
mus, aliquid defuisset Christo ad plenam satisfactionem pro peccatis, nec ei efficeremur conformes in hac poenali satisfactione: sed oppositum docet Trid. Synodus in toto eo capite. In symbolo dicitur: «passus est pro nobis.»

2.º Petrus ait (1): *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*. Sed peccata nostra, solum, ratione poenarum iisdem debitarum, in corpore Christi esse poterant: ergo.

Isaias etiam (2): *Dolores nostros ipse portavit... ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est...* Sed eatenus nostri erant illi Christi dolores, quatenus illos debebamus; eatenus induxerunt iniquitates nostrae illa Christi vulnera, quatenus nobis poenae debebantur: ergo.

3.º Vide dictas Patrum sententias... Hieronymus autem, eadem illa Isaiæ commentans verba, dicit: «Quod enim nos, ait, pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est pacificans, per sanguinem crucis suae, sive quae in terra sive quae in coelis sunt... Sicut corpus flagellatum atque laceratum signa injuriae in vibicibus ac livore portabat; ita et animam vere doluisse pro nobis.» Scilicet, tum spiritus tum corporis poenas nobis debitas solvere voluit Christus.

4.º Esse sub potestate diaboli, excludi a regno coelorum magnae sunt poenae peccatis debita: sed necessum erat ut remissa culpa et hujusmodi remitterentur poenae; ergo et oportebat ut, satisfaciendo pro culpa, simul Christus pro his satisfaceret poenis. Sed satisfactiones Christi, ut supra dictum est, valoris erant infiniti: ergo pro omnibus peccatorum poenis satisfacit.

265. Obj. Deus neque culpas, neque poenas nobis remittit, nisi eidem satisfactionem reddamus: ergo vel Christus non satisfacit, vel bis satisfieri sibi exigit Deus et Christi negligit satisfactionem.

Resp. Dist. *ant.* Nisi satisfactionem reddamus a Christi satisfactione vim habentem; conc. Per se sufficientem; nego. Proinde negatur *consequentia*. Etenim non ex Christi insufficientia aut ad *distinctam* reddendam satisfactionem, sed ut Christo compatiamur et conformemur, necnon nostrae utilitatis causa, voluit ipse Chris-

(6) 1 Petr. II, 24.—(7) LIII, 4, 5.

tus, cum hac conditione, suas nobis satisfactiones applicari; ut Trident. Syn. docuit (1).

SCHOLIA.

266. I.º Christi satisfactio pro peccatis nostris fuit superabundans... Est communis Theologorum et certa.

1.º Fluit ex thes. LXVI supra tradita, n. 253.

2.º Patet ex Apostolo (2) *Ubi abundavit delictum superabundavit gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum D. Nostrium*.

267. II.º Satisfactio Christi fuit in actu primo, seu antecedenter ad acceptationem divinam, condigna. Iisdem constat rationibus.

Confirm. Si non fuisset condigna nisi ex divina acceptatione, non fuisset incarnatio necessaria ad satisfaciendum: sed fuit ad id necessaria, ut postea dicitur. Ergo. *Maj.* patet: nam eatenus potest Christi satisfactio esse necessaria, quatenus aequalem et condignam Deus postulet satisfactionem.

Obj. Christus satisfacit ut homo; et reatus offensae fuit ut offensae Dei: ergo non poterat satisfactio esse condigna offensae.

Resp. Dist. *ant.* Ut homo et talis homo, conc. Ut homo, praescindendo a dignitate Verbi; nego *ant.* et *consequentiam*.

THESIS LXIX.

Christus Sacerdos in ara crucis se ipsum, pro humano genere, sacrificium obtulit.

268. Prop. est de fide, et tres amplectitur partes: a) Christum esse Sacerdotem; b) se obtulisse in ara crucis; c) pro omnibus.

I.º Pars, nempe, Sacerdotem esse Christum, prob. 1.º Conc. Oecum. Ephesinum decrevit (can. 10): «Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est... sed velut alterum praeter ipsum; anathematizetur.» Tridentinum autem docet (3): «Oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum Ordinem Melchisedech surgere, D. N. Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent; consummare et ad perfectum adducere...» Et inferius confirmat: «Sacerdotem secundum ordinem

(1) Ses. XIV, c. 8.—(2) Rom. V, 20, 21.—(3) Sess. XXII, 1.

»Melchisedech se in aeternum constitutum declarans Corpus et »Sanguinem suum, sub speciebus panis et vini, Deo Patri obtulit.»

2.^o Apostolus dicit (1): *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei: teneamus confessionem.*

Id quoque praedixerat David (2); *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis... In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te. Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es Sacerdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedech.* Ibi autem sermonem esse de Christo, ex contextu patet: cum Messiae characteres, in 1.^o Capite elucidati, perspicue exhibeantur; verum in Evangelio (3) et Apostolorum epistolis (4) de Messia Psalmus iste intelligitur; ideoque nequit ab ullo interprete id in dubium verti.

His consentiunt Patres omnes; unde ab ullis laudandis abstinemus: rationes tamen II.^{ae} partes I.^m confirmant.

269. II.^a Pars prob 1.^o Ex Trident. (5): «Deus et Dominus »noster etsi semel se ipsum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo »Patri oblaturus erat, ut aeternam illic Redemptionem operaretur.»

2.^o Apostolus ait (6): *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, aeterna Redemptione inventa... Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae haereditatis.*

3.^o Athanasius perspicue id docet (7): «Postquam suam divinitatem operibus comprobavit, sacrificium pro omnibus tunc »obtulit, cum pro omnibus suum templum morti tradidit.»

270. III.^a Pars 1.^o Ex Trid. (8) docente; misisse Deum Filium suum ut omnes redimeret, «atque omnes adoptionem filiorum reciperent.» Deinde ait (9): Jesum Christum Sacerdotem esse constitutum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent consummare; ideoque in Ara Crucis se ipsum obtulisse, «ut aeternam illic »Redemptionem operaretur.»

2.^o Paulus dicit (10): «*Charitas Christi urget nos: aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus.* Et rursus (11). *Modico quam angelis minoratus est, propter passionem mortis... ut pro omnibus gustaret mortem.*

(1) Hebr. IV, 14.—(2) Ps. CIX.—(3) Matth. XXII, 44.—(4) I Cor. XV, 25; Heb. I, 13, etc.—(5) Sess. XXII, c. 1, 2; et can. 3, 4.—(6) Hebr. IX, 11, 12, 15.—(7) *De Incarnat.* n. 20.—(8) Sess. VI, 1, 3.—(9) Sess. XXII, c. 1.—(10) II Cor. V, 14, 15.—(11) Hebr. II, 9.

3.^o Vide, supra, Athanasium. Augustinus autem (1) probat; omnes homines peccato originali fuisse infectos, quia *pro omnibus mortuus est Christus.* Et Chrysostom. etiam (2): «Non pro fidelibus tantum, sed pro universo orbe: nam mortuus est *pro omnibus.*»

271. **Corollarium.** Etiam pro reprobis et eorum salute mortuus est Christus.

Hoc negarunt Lutherus et Calvinus, nec non Jansenistae: hi tamen concedunt pro reprobis justificationem, non vero pro salute, mortuum fuisse. Verum expositae rationes eos errare plane ostendunt. Praeterea:

1.^o Apost. ait (3); *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Et alibi (4): *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Quibus planum fit, posse redemptos a Christo perire et reprobos esse.

2.^o Ex Trid. (5) confirm. «Etsi ille pro omnibus mortuus est, »non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt:» atqui illi, »qui non recipiunt beneficium mortis Christi, sunt reprobi; ergo etiam pro reprobis, etc.

Confirm. Omnes fideles tenentur credere quae in Symbolo dicuntur: «Crucifixus etiam pro nobis» etc. Atqui tamen aliqui damnabuntur: ergo et pro his mortuus est.

Jansenii proposit.^m 5.^m «intellectam in eo sensu, ut Christus pro »salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam... haeticam, (ait Innoc. X.) declaramus, et uti talem »damnamus.»

272. Obj. 1.^o Dixit Christus: *animam meam pono pro ovibus meis:* (6) Item: *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Ergo pro aliis non est mortuus.

Resp. Haec et similia testimonia, licet non omnes attingant, nullum tamen excludunt; unde, negatur *consequentia.* Ideo enim ita haec dicuntur, quia speciali modo, scil. *efficaciter*, mortuus est Christus pro his qui credunt vel salvantur: pro aliis autem *sufficiens.*

Obj. 2.^o *Pro multis* mortuum esse Christum (7), dicitur in Scriptura: ergo non pro omnibus.

Resp. neg. *conseq.* Etenim omnes *multi* sunt, ideoque sententiae ejusmodi non sunt exclusivae.

(1) L. 6, *contra Julian.*—(2) In ep. ad Hebr. c. II, hom. 4.—(3) Rom XIV, 15.—(4) I Cor. VIII, 11.—(5) Sess. VI, c. 3.—(6) Jo. X, 15; III, 14, 15.—(7) Hebr. IX, 28.

Obj. 3.^o *Non pro mundo rogo*, ait Christus, (1) *sed pro his quos dedisti mihi*. Ergo neque pro omnibus mortuus est.

Resp. Explico *antec.* Oratione absoluta et consequenti; conc. Conditionata et antecedenti; nego. Cum enim Christo futura omnia aperta essent, quos praevidebat bene gratia ipsis tradenda usuros, pro his efficaciter et absolute oravit et se tradidit, eis vitam providendo aeternam. Cfr. Disq. IV, n. 248, 249.

273. Obj. 4.^o Sacerdotis est mactare victimam: vel ergo Christus se occidit, vel non obtulit in cruce sacrificium.

Resp. dist. *antec.* Ita ut mactatio per sacerdotem spectet ad essentiam sacrificii; nego *antec.* Quatenus talis mactatio ad ritum sacrificii aliquando spectet; conc. *antec.* De sacrificii essentia est quod a sacerdote victima offeratur, sive mactando victimam sive actione alia perficiatur oblatio.

Inst. SS. Martyres, dum a tyrannis occiderentur, se ipsos in Dei honorem offerebant: atqui sacrificium verum non immolabant; ergo non sufficit oblatio victimae.

Resp. Dist. *min.* Non immolabant, eo quod non erant sacerdotes ad tales victimas offerendas constituti; conc. *min.* Eo quod se ipsos non occiderent; nego *min.*

SCHOLIA.

274. I.^m Christus D., in acceptatione mortis, et oblatione seu morali mactatione victimae, multo plus quam SS. Martyres influxit ut occideretur. Martyres eatenus influebant quatenus voluntarie mortem acceptabant, potiusquam viam justitiae desererent: Christus autem vel Lictores impotentes reddere vel repellere, vel se impassibilem exhibere vel animam suam, nihil letalibus obstantibus vulneribus, servare potens erat.

275. II.^m Nullo modo dicendum quod Christus D. vel ardentissimo amoris actu Cor suum dirupere, vel aliter, miraculoso modo, se occiderit. Etenim aperte testantur Scripturae quod a Judaeis occisus fuerit, idque Christus ipse praedixit (2): *Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum*. Item, aliis passim S. Scripturae elucet testimoniis (3).

Vide quoque Catech. Conc. Trid., in explic. symboli: ubi, Christum eximia in nos charitate mortem, quam vitare

(1) Jo. XVII, 9. — (2) Matth. XVII, 21, 22; XVI, 21. — (3) Act. Ap. III, 15; VII, 52; Apoc. V, 9, 12; Daniel, IX, 26.

poterat, libenter pro nobis *occubuisse*, docet: id est, mortem vi illatam *subiisse*. Et Athanasius clare loquitur (de *Incar.* n. 21): «Quatenus mors subeunda erat, non a se ipso, sed ab aliis sacrificium perficiendi coepit occasionem.» Et n. 22. «Non decebat Dei Verbum, quod ipsum vita erat, mortem suo corpori per se inferre.»

THESIS LXX.

Christus D. N. non pro se obtulit sacrificium quasi eguerit, sed solum quatenus exinde suam glorificationem et exaltationem meruit.

276. Nota. Pars I.^a est de fide, eo sensu quod non eguerit pro delictis suis: II.^a vero certa dicenda, et est communis Theologorum.

I.^a Pars prob. 1.^o Syn. Ephes. Oecum. can. 10, ait: «Qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione qui peccatum omnino nescivit), anath. sit.»

2.^o Christus D. neque peccavit, neque peccare potuit; deinde omnia ordinis supernaturalis et naturalis dona eidem, propter unionem hypostaticam, jure debebantur; ut ex dictis patet. Ergo pro se, nullo ex capite, egebat sacrificio suae mortis.

3.^o Athanasius docet (1): «Mortem et causam mortis, quod scilicet non propter se ipsum, sed pro omnium immortalitate et salute eam sustinuerit et Judaeorum injurias. Scripturae narrare non reformidarunt.

277. Prob. II.^a pars. Dicit Paulus (2): *Factus obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum...* Mors ergo et obedientia Christi causa exitere exaltationis ipsius: sed nulla alia concipitur causa nisi meritoria; ergo. Item (3): *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

2.^o S. Basilius, (4) exponens Pauli laudata verba, ait: «Propter obedientiam Pater Filio contulit nomen quovis alio praestantius... Haec igitur non de divinitate, sed de humanitate oportet intelligi.»

S. Chrysostomus (5). «Qui pro aliquo est passus, non solum illi prodest, sed etiam ipse fit praeclarior et perfectior.» Et exponens illa (6), *Venit hora ut clarificetur Filius hominis*; ait (ibid.): «Vides quantus sit fructus crucis? rem non formida.»

3.^o In morte Christi omnes fuerunt necessariae conditiones, ut suam mereretur gloriam et resurrectionem. Sed credendum est me-

(1) De *Incar.* n. 34. — (2) Philip. II, 8, 9. — (3) Hebr. II, 9. — (4) *Contra Euzonium*, l. 4. — (5) Hom. 4, in c. II, ad Hebr. — (6) Jo. XII, 23.

ruisse Christum quidquid ex merito donari illi potuit: ergo. *Maj.* ex praecedentibus patet: si enim pro aliis meruit, et sibi mereri potuit quod adhuc non habebat. *Min.* certa est: etenim nobilius est et perfectius ex merito accipere, quam sine merito.

278. Obj. Christo debebatur etiam resurrectio et glorificatio, ut quaelibet alia perfectio, propter solam unionem hypostaticam: ergo haec meruisse non est dicendum.

Resp. Conc. *ant.* et nego *conseq.* Nam ex pluribus titulis potest quis bonum aliquod assequi et possidere: titulus meriti jus praebet diversum a titulo hypostaticae unionis.

Inst. Perfectius est habere corporis incrementum, cibum ceteraque naturalia dona ex merito, quam ex gratuito dono: ergo dicendum erit illa quoque meruisse Christum.

Resp. 1.^o Nego paritatem. Nam ejusmodi bona ad naturam spectant; meritum ad supernaturalia dona respicit.

2.^o Dist. *conseq.* Illa meruisse Christum quatenus ad aliquem supernaturalem usum vel finem ordinabantur, vel speciali aliqua Dei providentia Christo tradebantur; puta, cum ei Angeli post jejunium ministrabant; conc. Aliter; nego.

SCHOLIA.

279. I. Disputatur inter Theologos utrum meruerit sibi Christus gratiam sanctificantem et alios supernaturales habitus, quibus fuit anima ejus sanctissima ornata.

Albertus M. cum aliis pluribus affirmant: eo quod nulla in hoc sit repugnantia, quod prius (prioritate naturae) meruerit dona illa, quam eadem accepisset; quod si possibile sit, non est Christo ea perfectio neganda. Imo in ps. 44, significari videtur: *Dilexisti justitiam... propterea unxit te Deus. Deus tuus oleo laetitiae; quam unctionem ad gratiam multi SS. referunt.*

Probabilis quidem est haec sententia, sed oppositam probabiliorem defendunt communiter theologi cum D. Thoma, Suarezio, Scoto, etc., etc. Quia meritum, ex ordine connaturali, praecedere praemio debet: si ergo meruisset Christus D. gratiam aliosque supernaturales habitus, sine dignitate illa ac perfectione, quam ex illis actiones desumunt, agere debuisset atque mereri. Atqui Christo perfectus agendi modus ab initio debebatur; et melius est aliquam perfectionem semper habere, quam illa carere donec merito tandem acquiratur: non decebat igitur, ut Christus privaretur debita sibi perfectione et connaturali, ut aliam sibi liberam et contingentem substitueret: praesertim cum jus istud in merito fundatum, quantumvis excellens, eminenter contineretur in dignitate Personae Christi exigentis omnimodam perfectionem.

Sententia autem ex ps. 44, accepta, vel significat potestatem regiam et exaltationem quam sibi Christus meruit; vel illud, *propterea*, non indicat efficientiam meritoriam, sed finalem; scilicet, quod ea de causa fuit unctus Christus, *ut justitiam diligeret* etc.

280. II. Inquirunt praeterea theologi; utrum ipsam Unionem hypostaticam meruerit Christus. Quod quidem non eo concipiendum est modo, quasi prius ageret et mereretur, quam a Verbo fuisset natura illa Christi assumpta; sed quatenus, ex praevisis absolute Christi meritis, decreverit Deus ab aeterno Incarnationem perficere seu exequi, adveniente plenitudine temporis.

Id quidem nullo modo repugnare videtur. Potest enim duplex virtualiter in Deo esse decretum circa Incarnationem; aliud intuitivum, decernens Christum cum suis infinitis meritis; aliud executivum, ex complacentia talium meritorum: quemadmodum beatitudinis meritum explicant DD. illi, qui, ut Bellarminus, Suarezius, D. Thomas etc.; praedestinationem ante praevisa merita defendunt. Quod si dicatur meritum ad praemium praecedere debere; sane id connaturalius dicendum, non vero necessarium. Nam Adam, caeteri patriarchae, B. V. Maria, etc., ex meritis Christi fuerunt sanctificati, praevisis quidem illis, non vero praecedentibus.

Utrum autem de facto sic meruerit Christus Verbi Incarnationem, non certo liquet; communior tamen sententia cum Augustino, D. Thoma, Suarezio etc. negat. In beatitudinis lumine, ubi immensa illucescet gloria Christi, veritas revelabitur.

THESIS LXXI.

Christus D. meruit et satisfecit pro nobis ex rigore justitiae.

281. Nota I.^o Justitia, in latissimo sensu omnem significat virtutem, ut videre licet apud S. Matthaeum (1), et explicat S. Thomas (2). In minus lato sensu eas significat virtutes, quae erga alterum disponunt; uti fidelitas, religio etc. (Ibid. apud D. Thom.). In stricto autem sensu, ea est virtus quae alterius jus servat: Constans voluntas jus suum cuique tribuendi. Dividitur in distributivam et commutativam: in eo autem conveniunt, quod utraque servat aequalitatem; sed differunt in hoc, quod prior respicit aequalitatem geometricam, altera arithmetica; uti loquitur S. Th. (3): id est, illa, sic decernit, ut ita se habeat res ad rem sicut persona ad personam: haec autem, ut res rei adaequetur.

(1) III, 15. — (2) 2, 2, q. 8, a. 1. — (3) Ibid. q. 61, a. 2, ad 2.

II.º Quaestio quidem est de justitia commutativa: non tamen ita, quasi antecederet ad Dei pactum seu beneplacitum, possit quisquam jus apud Deum habere: nam, ut ait Augustinus (1): «Deus nulli debet aliquid;» et eodem sensu D. Thomas (2): «Justitia commutativa non competit Deo, quia ut dicit Paulus: »*quis prior dedit illi et retribuetur ei.*»

III.º Aliquo modo Deus fuit Christi meritis obligatus, saltem ex promissione et fidelitate. Vide Isaiam (3) et Ps. II, v. 8. Verum haec obligatio est potius ad se ipsum seu ad suam promissionem, quam ad alium: obligatio autem justitiae est directe ad alterum.

IV.º Prima sententia est; Deum non posse obligari ex justitia. Ita Lugo, Vazquez, Cajetan. Bannez, etc. Secunda est; posse Deum ita obligari: sic Suarez, Arriaga, Salmanticenses, Godoy. etc.

282. Prob. 1.º Ex Tridentino (4), et testimoniis S. Scripturae (ibidem). a Trid. allatis. Remuneratio, merces, corona justitiae, verum meritum, redemptio, judicare tamquam justus iudex, reddere alicui quod habebat repositum, injuste oblivisci laboris operantis, etc., significant justitiam commutativam: sed eo pacto loquitur S. Scriptura et Trid. Syn. de justitia Dei; ergo Deus est capax se ex vera justitia obligandi.

2.º Chrysostomus, illa exponens verba (5). *Non enim injustus est Deus...* ait: «Papae! Quomodo eorum recreat et confirmat »animam, redigens ad necessitatem non expectandi Deum esse oblitum! Necessesse est enim ut ille peccet, qui non certam habeat persuasionem de justo judicio Dei et de aequa mercede secundum vitae rationem danda, et qui dicit Deum esse injustum.»

Anselmus verba Pauli (6), *Reposita est mihi corona*, exponens ait: «Quam juste merui, quam non dabit, sed reddet mihi »quasi debitam, quia justus est.

Bernardus etiam (7): «Si vel ipsa voluntas, de qua omne »meritum pendet, ab ipso Paulo non est, quo pacto coronam »vocat justitiae?... Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex »justitia persolvendum est. Justum quippe est ut reddat quod debet, debet autem quod pollicitus est... Cujus tamen suae justitiae »ipsum Deus voluit habere consortem, ut et coronae faceret promeritorem. In eo autem sibi justitiae consortem et coronae stantuit promeritorem, cum operum, quibus erat illa repromissa corona, habere dignatus est coadjutorem.»

(1) *De liber. arbitr.* c. 16. — (2) P. I, q. 21, a. 1. — (3) LIII, 10, 11. (4) Sess. VI, c. 16. — (5) Hebr. VI, 10. — (6) II Timot. IV, 8. — (7) *L. de grat et lib. arb. versus finem.*

Cyprianus (1) ait: «Praeclara et divina res, salutaris operatio; corona pacis, verum Dei munus et maximum, qua Christianus promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. »Ad hanc operum salutarium palmam prompte certemus, omnes »in agone justitiae, Deo et Christo spectante, curramus. Numquam »Dominus meritis nostris ad praemium deerit.»

283. 3.º Justitia distributiva non supponit imperfectionem et datur in Deo. Sed illud, quo distinguitur commutativa a distributiva, neque dicit imperfectionem. Ergo et haec datur in Deo.

Maj. patet ex D. Thom. (2) et ex S. Dionysio, quem ibi laudat, idque fatentur adversarii.

Min. prob. Differentia utriusque justitiae est in eo solum, quod altera debet aequalitatem facere rei ad rem secundum se; altera autem ut res se habeat ad rem, uti persona ad personam. Sed debere illam, potius quam istam, facere aequalitatem nihil prae se fert imperfectionis: ergo.

4.º Eatenus Deus non posset obligari ex justitia, quia hoc laederet divinum dominium; sed non laedit; ergo. *Min.* prob. Ideo obligari ex justitia laederet divinum dominium, quia non posset uti re obligata sicut antea poterat; ex. gr. non posset, stante merito, non dare gloriam. Sed potest Deus semper uti re obligata, ut antea poterat; ergo. *Min.* prob. Ideo Deus non potest nunc negare gloriam, quia habet voluntatem dandi ex merito: sed Deus numquam habuit potestatem negandi gloriam, in hypothesi quod vellet eam dare. Ergo potest, ut antea, re obligata uti.

Confirm. Deus est Dominus creaturae et omnium jurium ipsius: ergo nequit laedere dominium Dei, quod fiat debitor creaturae ex propria voluntate.

5.º Deus, antecederet ad promissionem, potest non praestare quod promisit vel e contra, prout voluerit; non vero consequenter. Sed non laedit hanc Dei plenissimam potestatem quod promittat et obligetur ex fidelitate: ergo neque laedit plenissimum dominium quod obligetur ex justitia.

284. Obj. 1.º Si Deus retinet perfectum dominium, poterit negare meritis praemium: ergo, si neget, non agerit injuste ideoque non obligatur ex justitia.

Resp. Dist. *ant.* Poterit negare praemium, in hypothesi quod velit esse merita; nego. Si nolit esse merita; conc. Unde negatur suppositum; scilicet ad perfectum dominium spectare, quod possit Dominus negare rem, dum vult eam dare.

(1) De opere et Eleemosyna (ad finem). — (2) *Contr. Gen.* l. 1, c. 93.